

Qvod enim dicit se loco istarum legum reliquisse nobis commentarios, & expositiones ab antiquis J Ctis perfectas, qvis tam exigui judicii est, ut sibi hoc satisfieri patiatur? Aut qvis Musas ita parum propitias habet, aut naturæ adeo hostis est, qui contentus esset, si loco Homeri & Virgilii librorum Eustathii & Servii commentarii offerrentur? Secundo considerandum est, quod Tribonianus jaetat, se nobis J Ctorum expositiones reliquisse, cum omnes tamen libros magnorum & eximiorum J Ctorum veterum, qui vere Romani, & in summo honorum & auctoritatis gradu stante rep. fuerunt, suppresserit & aboleverit. Tales fuerunt duo Catones, Mucii, Manilius, Cascelius, Ser. Sulpitius, ea gravitate & auctoritate viri, ut sola ipsorum præsentia & majestas formidabilis futura fuerit posterioribus illis Græcis, Syris, Africanis, qui cum in Jurisprudentiam irrepsissent, hoc eis primum fuit, ut veterum scripta morderent ac reprehenderent. Priscorum ergo scriptorum loco Tribonianus nobis tradidit libros & tractatus horum peregrinorum, qui è dissitis provinciis Romanæ venerant, ut lingvam Latinam, & demum Jurisprudentiam addiscerent, qui que à digni-